



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetæ Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Octonarius duodecimus. Lamed. In æternum, Domine, verbum &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Qui tua contemnunt dogmata sancta, Deus.  
Verax sermo, Deus, tuus est, me tolle iacentem,  
Me exagitant probris scommatibusq; mali.  
Non tamen à Domini veracis lege recedam,  
Me licet extinctum turba maligna velit.  
Ut tua perpetuo possim promissa tenere,  
Gratia vivificet me tua, care pater.

Octonarius duodecimus.

L A M E D.

In æternum, Domine, verbum &c.

**N**Æ tua verba, Deus, constant mansura per æ-  
Quatenus extendit se plaga lata poli. (uum,  
Ut moles mundi verbo stabilita potenti:  
Sic tua perdurant vera statuta, Deus.  
Omnia sic fiunt, sicut, Deus, ordine mandas,  
Servit enim mundi machina tota tibi.  
Ni tua lex miserum me consolata fuisset,  
Tot mea vita malis victa iaceret humi.  
Diuini capient me nulla obliuia pacti,  
Illud enim miserum subleuat atq; beat.  
Sum tuus, ergò tuum digneris, queso, iuuare,  
Qui tua sacra, Deus, fœdera fidus amat.

Hoc

*Hoc agit, ut possit reprobus me perdere, tantum  
Pareo quòd monitis sedulus ipse tuis.*

*Res video cunctas minui atq; perire creatas:  
At semper bonitas & tua pacta manent.*

Octonarius decimus tertius.

M E M,

Quomodo dilexi legem tuam, &c.

**O** Deus, immotam legem quam diligo, voluens  
Hanc meditansq; animo nocte dieq; tuam.

Per tua verba, meo si prudentior hoste,

*Qua veluti diues sunt mihi gaza, Deus.*

Et doctore meo longè sum doctior ipse,

*Perpetuus sermo sunt tua iussa mihi.*

Astutis etiam senibus cum cautior inde,

*Quòd tua conseruo fœdera pacta mihi.*

Pes meus ut vitet vestigia lubrica, nusquam

*Se mouet à placitis eloquiisq; tuis.*

Ipse tuà nunquam de sacrà lege recedam,

*Imperium didicit mens mea ferre tuum.*

Tàm mihi grata sonant tua verba et suauia dicta,

*Vt sapida haud possint mella placere magis.*

Hoc